



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 14. Timotheus Solofaciole Episcopus Alexandrinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

præfuit. Is Oeconomum constituit Marcianum, qui olim Catharenfes, seu Novatianos sectatus fuerat; statim ut officio suo fungi cœpit, promulgavit, ut cujusque Ecclesiæ minoris Clerici oblationes, quæ ibi fierent, acciperent, cum prius Ecclesia Magna iis omnibus potiretur. Non nulla miracula a Marciano, & a Gennadio edita feruntur.

Sæculum V.
A. C. 457.

Theod. Lect.
I. p. 553.

vita Marc.
ap. Boll. 10.
Jan. p. 609.

§. XIV.

*Timotheus Solofaciole Episcopus
Alexandrinus.*

Leo Imperator, acceptis Metropolitanorum Responsis, ad Stylam Alexandriae

Liber brev.
c. 15. 16.

Ducem mandata perscripsit, ut Timotheum Elurum urbe expelleret, quod effectui datum. At vero, intercedentibus quibusdam veræ Fidei hostibus, licentia ei facta Constantinopolim eundi, ubi Catholicum se simulans, rogabat Sedis suæ restitui, quasi vero solius Doctrinæ causa fuisset detrusus. Hoc comperto S. Leo ad Leonem Imperatorem scripsit. Primo Gratias agit omnium Ecclesiarum nomine, quod alienæ Sedis invasorem ejecisset, rogatque, ut eligi curet urbis Alexandrinæ Episcopum, in quem suspicio Hæresis, illa ætate grassantis, nunquam cecidisset. Quod ad Timotheum spectat, dicit, etiamsi ipsius Professio Fidei sincera esset, nihilominus nefanda

Epist. 137.
al. 99.

Hist. Eccles. Tom. VI. D d d ho

Sæculum V.
A. C. 460.

Epist. 138.
al. 100.

Ep. 139. 140.
141. al. 101.
102. 103.

hominis crimina plusquam sufficere, ut ab Episcopatus obtinendi spe in perpetuum excludatur. Nec satis esse, si Episcopus, præsertim in sublimi Sede, qualis Alexandrina est, collocatus verborum sono Catholicum se dicat, nisi simul suam Religionem bonis operibus comprobet. Hæc epistola 17. Junii anno 460. data.

Elapso circa circiter Bimestri S. Leonis relatum, Timotheum Elurum in Chersonesum sub valida custodia fuisse deportatum, atque alium, Timotheum nomine, cui cognomentum *Solofaciole*, seu *Albus*, unanimi Clericorum, & populi, consensu Episcopum Alexandrinum fuisse electum. Ab eo etiam S. Leo epistolas, quibus suam Electionem significabat, aliasque a decem Ægypti Episcopis, & Clericis Alexandrinis, accepit. Respondit S. Papa, datis tribus epistolis, in quibus eis bonam Electionem gratulatur, hortatur ad concordiam, atque ut Hæreticos in Spiritu lenitatis ad Ecclesiam reducere satagant. Timotheum speciatim rogat, ut ad se sæpe epistolas det, & certiore reddat, quam uberes fructus pax, in Ecclesiam ejus reiecta, afferret. Epistolæ istæ 18. Aug. anno 460. datæ, & si ordo temporis spectetur, S. Leonis ultimæ sunt.